

DE PACTIS PIGNORUM ET DE COMMISSORIA LEGE
IN PIGNORIBUS RESCINDENDA.

8.35.1

Imp. Alexander A. Victorino.

Qui pactus est, nisi intra certum tempus pecuniam quam mutuam accepit solveret, cessurum creditoribus, hypothecae venditionem non contraxit, sed id comprehendit, quod iure suo creditor in adipiscendo pignore habiturus erat, communi itaque iure creditor hypothecam vendere debet.

PP. id. Oct. Alexandro A. cons.

[a. 222]

8.35.2

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Dionysio.

Si fundi nomine, quem vendideras, emptori ab alio mota proprietatis quaestione alterum fundum pro eius evictione pignoris hypothecaeve titulo emptionis instrumentis ea lege dedisti, ut, quem secundo tradideras, si is quem vendideras evictus non fuerit, obtineas, de hoc contra eum qui moverat quaestionem lata sententia emptori parata securitate, circa eum quem obligaveras restituendum conventionis fidem impleri, si negotium integrum est, praeses iubebit.

S. k. Dec. Sirmi AA. cons.

[a. 293]

8.35.3

Imp. Constantinus A. ad populum.

Quoniam inter alias captiones praecipue commissoriae pignorum legis crescit asperitas, placet infirmari eam et in posterum omnem eius memoriam aboleri.
¶ Si quis igitur tali contractu laborat, hac sanctione respiret, quae cum praeteritis praesentia quoque depellit et futura prohibet, creditores enim re amissa iubemus recuperare quod dederunt.

D. II k. Febr. Serdicae Constantino A. VII et Constantio C. cons.

[a. 326]